Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

in te unum et nos multos in multis per multa. ut per eum
adprehendam. in quo et apprehensus sum. et a ueteribus
diebus colligar sequens unum. preterita oblitus. non
in ea que futura et transitura sunt. sed in ea que ante sunt. non
distentus. sed extentus. non secundum distentionem sequor
ad palmam superne uocationis. ubi audiam uocem laudis.
et contempler delectacionem tuam. nec uenientem nec pre
tereuntem. Nunc uero anni mei in gemitibus. et tu solacium
meum domine pater meus eternus es. At ego in tempora dissi
lui. quorum ordinem nescio. et tumultuosis uarieta
tibus dilaniantur cogitaciones mee. intima uiscera ani
me mee. donec in te confugiam purgatus et liquidus
igne amoris tui. et stabo atque solidabor in te in forma
mea ueritate tua. Nec patiar questiones hominum
qui penali morbo plus sitiunt quam capiunt et dicunt.
quid faciebat deus ante quam faceret celum et terram. aut
quid ei uenit in mentem. ut aliquid faceret. cum antea numquam
aliquid fecerit. Da illis domine bene cogitare quid dicant.
et inuenire quia non dicitur numquam. ubi non est tempus.
Qui ergo dicitur numquam fecisse. quid aliud dicitur nisi nullo
tempore fecisse. Videant itaque nullum tempus esse
posse sine creatura. et desinant istam uanitatem loqui.
Extendantur etiam in ea que ante sunt. et intellegant te
ante omnia tempora. eternum creatorem omnium tem
porum. nec ulla tempora tibi esse coeterna. nec ullam crea
turam. etiam si est aliqua supra tempora. domine deus meus.
Quis ille sinus est alti secreti tui et quam longe inde
me proiecerunt consequentia delictorum meorum. Sana
oculos meos. et congaudebam luci tue. Certe si est [tam] grandi